



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

V. Iuramentum de calumnia a quocumque est praestandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

tatum est: & nos ad id faciendum eos cogere non possumus, nec debemus. Sed ne aliena iura alieni hac occasione videantur detinere illicite, & ipsi a causa sua decendant, si ex parte ipsorum prædictum iuramentum, si res ita postulauerit, non fuerit præstitum: eis præcipimus, vt in suo monasterio, sicut imperiales constitutiones consentiunt, œconomum statuunt, qui pro eis petere & excipere, atque iuramentum de calumnia, cum necesse fuerit, valeat exhibere.

CAP. V.

Item Lucius tertius episcopo Heliensi & S. archidiacono Norwicensi.

Peruenit ad nos de transmissa nobis conuestione R. clerici de sancto Albano, quod cum ipse pro Ph. & pro Helia clericis de Lund. ad eorum instantiam pro altero illorum, Helia videlicet in sex, pro altero in septem marcis argenti fideiussisset mercatoribus Bononiae, & ei vnus fide, sicut & alter iuramento promiserat: præscriptam pecuniam non soluentibus, coactus est prædictis creditoribus pro ipsis, sicut inter eos conuenerat, prædictam pecuniam exhibere. *Et infra*: Ceterum, quia nouis morbis noua conuenit antidota præparari, volumus & mandamus, vt ad veritatem eliciendam, appellatione remota, præstari faciatis ab vtraque parte iuramentum calumniae.

CAP. VI. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Constitutus in præsentia nostra M. Stephanus sua nobis assertionem monstrauit, quod Ma. P. de Bleis, cancellario tuo tempore Laterani Concilii ad preces ipsius in 15. marcas Sterlingorum legalium & communium intercesserit. *Et infra*: Quia vero contra diuersa experimenta morborum, varia nos conuenit medicamina inuenire, præsentium tibi significatione iniungimus, vt si præfatus P. debitum, vel assertiones denegauerit, consuetudine, qua legi contraria est, non obstante, sacramentum calumniae subire cogatur.